



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

209. Ut Presbyter curam hospitem habeat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622

DE ECCLES. DISCIPLINIS. 105
Ecclesiam, quos ipse in omni castitate erudiat.

Ut omnis Presbyter horas canonicas solem-
niter persolvat. *Ex eodem,*
cap. XIX.

CCVIII. Presbyter, mane matutinali
officio expleto, pensum servitutis suæ canendo
primam, tertiam, sextam, nonamque persol-
vat, ita tamen ut postea horis competentibus
juxta possibilitatem aut à se aut à scholaribus
publicè compleantur. Deinde peractis Missis,
& infirmis visitatis, ad opus rurale exeat jeju-
nus, ut iterum necessitatibus peregrinorum &
hospitum, sive diversorum commeantium, in-
firmorum quoque atque defunctorum succur-
rere possit, usque ad statutam horam pro qua-
litate temporis & opportunitatis.

Hincmar. Ca-
pitula tit. 1.
c. 9.
Burchard. lib.
2. c. 104.

Ut Presbyter curam hospitum habeat.
Vnde supra.

CCIX. Ut Presbyter curam hospitum,
maximè pauperum atque debilium, orphano-
rum quoque, atque peregrinorum habeat,
hósque ad prandium suum cotidie juxta possi-
bilitatem convocet, eisque hospitium tribuat.
[*Vide Capitulare Riculfi Sueffion. cap. 12.*]

Hincmar.
ibid. c. 10.

Ex eodem capite.

Ut autem omnis occasio rapinæ tollatur,
volumus ut Presbyteri, qui bonum exemplum
caritatis omnibus ostendere debent, hospita-
les existant, juxta dominicum & apostolicum
præceptum, & humanitatem præbeant iter-
facientibus: quia per hospitalitatem placue-

Capitula Kar-
lo-manni tit.
2. c. 12.
Burchard. lib.
2. c. 167.

runt quidam Deo, angelis hospitio receptis,
& Dominus in die iudicij dicturus est electis:

*Matth. 25. Hospes eram, & suscepistis me. Et Job dicit:
Job. 31. Ostium meum semper viatori patuit.*

De aqua benedicta. *Ex epistola Alexandri
Papae.*

Alexand. I.
epist. 1. c. 5.
RemediusCu-
riensis c. 24.
Burchard. lib.
2. c. 53.
Hebr. 2.

4. Reg. 2.

CCX. Aquam enim sale conspersam po-
pulis benedicimus, ut ea cuncti adpersi san-
ctificentur. quod & omnibus sacerdotibus fa-
ciendum esse mandamus. Nam si cinis vitulae
asperfus populum sanctificabat atque munda-
bat, quanto magis aqua, quae sale aspersa di-
vinisque precibus sacrata est, populum sancti-
ficat atque mundat? Et si sale asperso per He-
lisaum Prophetam sterilitas aquae sanata est,
quanto magis divinis precibus sacrata aqua
sterilitatem rerum aufert humanarum, & con-
inquinatos sanctificat & purgat, & cetera bo-
na multiplicat, & insidias diaboli avertit, & in-
phantasmatum versutiis hominem defendit.

De eadem re. *Ex supradicto Concilio
cap. v.*

Hincmar.
ibid. c. 5.
Burchard. lib.
2. c. 52.

CCXI. Ut omni die dominico quisque
Presbyter in sua Ecclesia ante Missarum sol-
lemniam aquam benedictam faciat in vase ni-
do & tanto mysterio convenienti, de qua po-
pulus intrans Ecclesiam aspergatur; & qui ve-
luerint, in vasculis suis accipiant ex ipsa, &
per mansiones & agros & vineas, super peccata
quoque sua, atque super pabula eorum, nec
non super cibos & potum suum conspergant.